

Lucas Schröder Martin Huth

## **Dissertatio Pneumatica Posterior, De Aeternitate Dei, Cuius Theses Aeterni Numinis Auspiciis**

Rostochii: Kilius, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730588181>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1674  
Lucas Schröder  
Martin Flück







DISSERTATIO PNEUMATICA  
POSTERIOR,  
*DE*  
ÆTERNITA-  
TE DEI,

Cujus Theses  
Æterni Numinis Auspiciis

&  
Indultu Amplissimi Philosophorum  
Senatus

IN ACADEMIA VARNIACA  
*PRÆSIDE*

M. LUCA SCHRÖDERO,  
Gustroviensi,

publicæ eruditorum censuræ subicit

*RESPONDENS*

MARTINUS *Huth* Münchberga-  
Marchicus, S S. Theol. & Phil. Stud.

*Ad diem III. Junii Anno M. DC. LXXIV.*

In Auditorio Majori.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.



DISSERTATIO PNEUMATICA  
POSTERIOR

DE

AETERNITA-  
TE DEI

Cujus Titulus

Arctonominis Aulicis

In Aula Amphitheatri Philosophici

habitus

IN ACADEMIA VARNIAE

EXACTA

M. LUCA SCHEUDELERO

Gulfovici

publice exornatum concilio

habitus

MARTINUS VON MÜNCHBERG

Martini, 25. Martii, 1717

in Aula Amphitheatri Philosophici

habitus

ROSTOCK

Typis JOHANNIS KILII



Q. B. V.  
DE  
ÆTERNITATE DEI.  
THESIS VII.

Æternitatis conceptus proprius, per quem in esse talis Durationis constituitur, commodissimè dicitur esse Interminabilitas.

§. 1.



Uti superius à nobis constitutus est, Æternitatis conceptus communis, nempe *Duratio*, is quin ad eandem comparatam cum suis conspicietibus, quibus communiter adjungi solet, per modum Generis se habeat, dubitare nos non sinit formalis ejus, qua absolvitur, ratio. Solent autem tres numerari à Philosophis durationis, à quâ singula æqualiter participant, species: *Æternitas*, *Ævum* & *Tempus*. Quas duplici modo licebit *διχολογῆν*. Uno. *Duratio* est vel interminabilis, ut *Æternitas*, vel terminabilis, idque, vel secundum quid, & à parte ante, ut *ævum*, aut simpliciter & utrinque ut *tempus*. Altero: Est vel terminabilis, ut *tempus*, vel interminabilis, idque vel secundum quid, & à parte post s. finaliter, ut *ævum*, aut simpliciter & totaliter, ut *æternitas*. Videtur tamen prior disperendi ratio posteriori meritò præferenda. Est enim Dei interminabilitas diversi planè generis à creaturæ interminabilitate: ille absolutè & ex se interminabilis est, creaturâ omni absolutè terminabili. Longiùs itaque distant interminabilitas æternitatis & ævi, quam interminabilitas ævi, à terminabilitate temporis, rectiùsque adeò hæc, quàm illa sub unum conceptum coguntur.

§. 2 Stante hac Durationis divisione, quis conceptus Æternitatem in ratione talis Durationis constituat? oppidò, quàm obvium est. Diversissima tamen, quæ de eodem passim prostant, Philosophorum judicia faciunt, ut res luculentiori quadam excussione videatur indigere, quam pro re nata suscepturi præcipua saltem Vett. Aristotelis interpretum Scholasticorumque vota & sententias referre animus est.

A 2

§ 2



§. 3. Atque inter illas quæ celebritate sua alias superant, de æternitatis formali, sententias, primo loco referri meretur ea, quæ Doctorem Seraphicum, *Bonaventuram* assertorem habet strenuum. Is verò primam ac differentiam per se in eo censet ponendam, quod sola sit duratio permanens, cum ceteræ sint aliquo modo successivæ. *Vid. in 2. dist. art. 1. qu. 3* Nimirum *æternitas* dicit nullam omnino admittere successionem vel variationem neque in se, neque in esse ejus, cujus est duratio, vel quod nostro concipiendi modo afficit, *id est*, nihil esse in eâ prius vel posterius, non præteritum vel futurum, atque adeò absolutè permanentem. *Ævum* verò & *tempus* utrinque affirmat admittere successionem vel variationem, vel utrique aliquid novi advenire; hac saltem intercedente diversitate, quod *tempus* & in se & in suo esse, cujus est duratio, habeat successionem, *id est*, quod tempori ita de novo aliquid adveniat, ut statim, à quo præsens est, transeat, fiatque præteritum & esse desinat: *Ævum* verò non quidem in illo esse, cujus est duratio, in se tamen habeat variationem, *id est*, quod ævo quidem de novo aliquid adveniat, adeoque in eo sit prius & posterius, quod tamen non transeat, nec esse desinat, adeoque non agnoscat præteritum vel futurum. Hoc quippe est, quod, si rectè ejus mentem in re obscura assequimur, intendisse videtur *Bonaventura*, quando loc. cit. *Ævum*, inquit, *non est duratio omnino permanens, sed admittit successionem prioris & posterioris, non quidem sicut tempus, quod eam habet cum variatione præteriti & futuri: æternitas verò nullam prorsus admittit variationem: Et ideò benè ævum distinguitur ab utroque, ab æternitate quidem, per successionem prioris & posterioris, à tempore verò per variationem præteriti & futuri.* Conf: hac de sententia *Anton. Ruvius tract. post. de ætern. & ævo.*

§. 4. Eandem sententiam *Scoto*, Doctore subtili, & *Richardo* tribuunt *Cajetanus*, *Leuchettus*, *Ruvius*, nisi quod *Scotum* hac suspicionem liberare conetur *Joh. de Rada part. 2. contr. 4. art. 1. quin & Rainaudus Theol. Nat. p. 173.* pro eadem citat *de Salas & Mayronem.* Ut ut autem verissima hæc sit esse, quæ de æternitate & tempore differit *Bonaventura*, concedant plerique, quod tamen ad ævum attinet, adeò difficilem censent hanc sententiam, ut nec examen sustinere, ne dum formalem inter hanc ceterasque durationes rationem possit continere. Nam & *Thomas quodlibet 10. art. 4.* eam negat esse intelligibilem, & *part. 1. quest. 10. art. 5.* affirmat eam implicare contra-



traditionem; quin *reveri* Scholastici in ejus *eversionem* planè videntur conspirasse. Neque intelligi ullatenus potest, *quomodo ævum admittat successione prioris & posterioris, sine tamen variatione præteriti & futuri*, ut loqui amat Bonaventura. Si enim ævum habet aliquam successione, ita ut aliquid ejus de novo adveniat, *vel illud, quod ita de novo advenit, semper est præsens, vel non est præsens*; Prius dici nequit, semper enim præsens esse, & nunquam transire, repugnat successione naturæ, quæ in hoc consistit, ut uno adveniente transeat alterum. *Posterius* si est, jam id, quod accessione novi transit, esseque desinit, fit præteritum, adeoque non poterit non dari simul præteritum & futurum. erit enim id, quod advenit, ante adventum adhuc futurum, & quod transit, post transitum erit præteritum. Repugnat aded ævum habere successione & variationem sine præterito & futuro, ex adverso verò relinquitur, per successione & variationis negationem *Æternitatem* contra ævum & Tempus adæquatè distingvi non posse. Conf. Gregor. de Valentia Tom. 1. *disp. 1. qv. 10. punct. 3.* Ruvius *loc. cit. Pererius l. 12. Physic. c. 12.*

§. 5. Alia rem aggreditur viâ D. Thomas, formalem æternitatis rationem constituturus. Triplicem verò is annotat *essendi gradum*, ex quo de unicujusque duratione judicat: *Infimum* quidem, qui ita à permanentia recedit, ut in omnimodâ successione & transmutatione consistat; *sumum*, qui nulli nec motui, nec mutationi subjacet; & *medium*, qui in se quidem nullam dicit successione & variationem, eam tamen admittit in operationibus, quarum principium est. Inde *æternitatem* per hoc ab *avo* & *tempore* differre asserit, quod sit talis Duratio, quæ nullam admittat successione, neque in esse, neque in propriis & internis actionibus rei æternæ; cum omnino alia duratio talis sit, ut vel in seipsâ successione concedat, vel faltem eam adjunctam habeat in aliquibus operationibus vel motibus ejusdem suppositi.

§. 6. Thomam magno agmine sequuntur Interpretes, Scholasticique tantum non omnes. Ac illi quidem eò potissimum allecti, quod æternitatis rationem peteret à modo existendi rei æternæ, distincto à modis existendi rerum aviternarum & temporalium, non potuerunt non in ejus sententiam pedibus concedere. Uti enim duratio rei à rei existentia non differt, ita differentia durationum, ipsis iudicibus, explicari rectius non potuit, quam si exponeretur discrimen inter existentiam ejus rei, quæ æterna dicitur,



& earum quæ sunt æternæ vel temporales. Alii tamen nec minoris fama vel eruditionis, non levem quâ hæc, percelebris ceteroqui sententia premeretur, adverterunt difficultatem, propter quam & defendendam eam censuerunt. Constituire enim nequiverunt, quo sensu Thomas, ævum ab æternitate velit distinctum præcisè per *successionem operationum & affectionum rerum æternarum*, v. g. Angeli, cum cætera, nec ipso dissitente, utrinque sit *permanentia secundum esse*. Certè ut ipsa essentia Angelica naturâ prior est affectionibus & operationibus Angeli; ita essentiæ ejus duratio prior quoque sit, necessum est, duratione talium affectionum & operationum. Queritur itaque; annon ipsa essentia Angeli, præcisè illis operationibus, quæ adjunctam habent successionem, ævo durare dicenda sit? quod cum negari nequeat, oppidò manifestum est, ad ævum jam quoque pertinere durationem rei per se non mutabilis, ac falsum proinde fuerit, rationem ævi per se respicere successionem ac transmutationem, quæ est in affectionibus & operationibus mutabilibus rei ex se permanentis. Unde & illud manet, differentiam hanc quoad hoc membrum nondum esse desumptam ex eo, quod formaliter & per se pertinet ad rationem durationis, sed ex adjunctis & extrinsecis. Præcisâ enim illa successione, quæ, juxta Thomam, cum permanentia ipsius rei æternæ conjuncta est, necesse adhuc est, ut in suis intrinsecis formalibus rationibus adhuc habeant diversitatem. Non potuit id dissimulare fidelis Thomæ assertor, Svarezius, unde nec dissitetur, primariam æternitatis ab ævo & tempore differentiam aliorum petendam. Ne tamen nihil pro excusando Magistro dixisse videretur, addit, *idèò meritò per carentiam omnis successionis tam formalis, quàm accidentis sive concomitantis æternitatem explicari, ut per hoc ejus quadam excellentia indicetur*. Quod quàm non suffecerit ad accuratam æternitatis explicationem, nemo non videt.

§. 7. Non vacat in præsentî, plures opinionum de æternitate diversitates vel afferre vel ponderare. Superest ultima sententia eorum, qui per *interminabilitatem* proximè Æternitatem constitui, ab ævo verò & tempore distingvi censent. Nempe ut *durare* significat rem in esse suo perseverare, ita quo magis & minus res in esse suo perseverat, eò magis vel minus dicitur *durare*. Cognoscitur autem vel major vel minor rei duratio, ex exclusione vel utriusque vel alterutrius saltem durationis termini, quales duo sunt, *Initium* sc. & *fnis*.



*finis*. ita ut res, quæ unum excludit durationis terminum, magis durare dicatur re, quæ utrumque includit: Amplius verò illa res dicitur durare, quæ utrumque terminum excludit. Inde jam fit, ut res, quæ sine inceptione & desitione durat, *interminabiliter* duret, adeoque sit æterna; res verò, quæ cum inceptione, sine tamen desitione durat, duret *terminabiliter* ob terminum, quem agnoscit, anteriorem; res demum, quæ & cum inceptione & cum desitione durat, duret itidem *terminabiliter*, ob utrumque, quo circumscribitur & anteriorem & posteriorem terminum.

§. 8. Ut tandem, quid in re obscurissimâ statuendum sequendumque putemus, intelligatur, profiteamur, inter omnes, quæ vel productæ à nobis in scenam sunt, vel produci porrò potuerunt, sententias, ultimam hanc maximopere nobis sua accuratione commendari, pro qua & ipsi conceptus nostri, quos de Æternitate formamus, militari visi sunt, ut eò minus pro ea recipiendâ fuerit laborandum. Sive enim de *æternitate concreta & interna*, sive de *abstracta & externa* cogitemus, nihil aliud, quam talem aliquam durationem, quæ nullis terminis, nec initio nec fine possit circumscribi, concipi deprehenderit. Per *æternitatem concretam & internam* intelligimus ipsam illius rei, quæ æterna dicitur, existentiam, quat. externum dicit ad indefinentem aliquem temporis fluxum, cui coexistat, respectum. *Æternitatem abstractam externamque*, utut fateamur tantillæ ac tam tenuis esse realitatis, ut inanem illius ideam intellectus noster assequi ferè non valeat: in proprias tamen devoluti meditationes, experimur, nos *æternitatem* concipientes, non præcisè concipere substantiam aliquam viventem, quæ sine terminis existat: sed indefinentem aliquem temporis (*temporis* vocabulo, quod ceteroquin dicendi Magister, usus ad motum ferè cœlestem adstrinxit, commodiori desituti, hoc in negotio uti cogimur) fluxum, qui à nulla causa dependeat, sed invariabili & eodem semper tenore, seu quicquam existat, sive nihil, absque initio defluxit, absque termino defluxurus, quique nulla vi fisci potest aut potest interrumpi. Talem indefinentem temporis fluxum, nullaq; potentiâ interrompèdû, nisi velimus concedere, vix ac ne vix quidè ipsa æternitatis formalitas concipi, nedû explicari, poterit. Inde verò ulterius & hoc argui videtur, *æternitatem* hanc *abstractam* ab *ævo* & *tempore*, non jam ut speciem à suis conspicius, sed ut totum à suis partibus, discriminari. Ita nim. ut *æternitas*



*ditas* dicatur, totus ille innumerabilium seculorum tractus, temporisque interminabilis decursus: *ævum* verò posterior temporis sine fine decurrentis portio, à qua anterior resecta concipitur: *Tempus* denique (*strictè ita dictum*) illa temporis portio, quæ mundi existentiam respicit, àque ejus exordio defluxit, adusque excidium porro defluxurum. Quod in animo suo jam tempore Ciceronem habuisse, non ex vano augurari liceat, quando *l. 1. de Invent. Tempus est*, inquit, *pars quedam Æternitatis, cum alicujus annui, mensuræ, diurni, nocturnive spatii certâ significatione*. Neque verò capimus, quomodo singulæ hæ durationes simul esse possint, ut tamen eadem duratio non sint, cum ex eo, quod simul sint, una eademque duratio evadant, necesse sit, quemadmodum duobus spatiis eodem ambitu contineri repugnat, nisi in unum conflentur.

§. 9. Ceterum uti in æternitate concipimus interminabilem ejusmodi temporis decursum, ita existentia rei alicujus inde æterna denominatur, quod interminabili temporis decursui coexistat, illumque existentiam suam exæquet. Quanquam enim posita rei alicujus existentiam inde statim, siquidem nihil aliud adjiciatur, perdurare incipiat: non potest tamen ipsa *interminabilis durationis* notione designari, nisi quatenus simul cum indefinente temporis fluxu coexistit, externumque ad illum respectum intert. Interim fundamentum istius denominationis ab ipsa rei existentiam desumitur, quæ si inde necessaria sit, omnemque incipiendi & desinendi potentiam excludat, & ipsa merito *interminabilis* dicitur. Cumque creaturarum rerum existentiam talem essendi, necessitatem non habeant, sit, ut illis non *interminabilis* abscribi possit duratio, sed vel *terminabilis à parte ante*, quam *ævum* dicimus, vel *terminabilis utrinque*, quæ *temporis* notione venire communiter solet. Ut eò sensu *æternitas, ævum, & tempus* non minori jure specie invicem differre dici possint, quam ipsas res, quibus una ex his durationibus competit, specie differre extra dubitationem est. Ad illud verò oculum intendimus, æternitatis hunc conceptum formalem per nomen non *actus*, sed *potentiæ* exprimentes, ut innueremus, rem, quæ *æterna* denominanda est tam necessariam dicerte existentiam, quæ ita careat utroque durationis termino, ut nec alterutrum habere possit. Equidem Scholastici plerique, uti non absurdum censent, potuisse à Deo ab æterno creaturam aliquam produci, ita persuasi sunt, actualem termini carentiam ad rationem æterna-

mita-



nitatis sufficere. Quod cum sit μέγα λίαν αἴημα, à nobis inferius excutiendum, concludimus hæcenus, æternitatem nomine terminandi potentiam negante exprimendam, ut intelligi possit, rem, quæ æterna dici debeat, ita actu carere initio & fine, ut nec possit initii finisque compos esse; quo sensu hanc formalem æternitatis rationem verissimam esse, ne ipse quidem diffiteri potest Svarezius l. c. Sect. 3. num. 5.

### THESIS VIII.

Duratio interminabilis quoad nos seu abstractè considerata, sine quadam divisione & successione nequit intelligi: concretè verò spectata omnis veræ ac realis divisionis & successionis est expers.

§. 1. *Æternitatem abstractam* nihil esse aliud, quam indefinentem temporis fluxum, qui ab omni causâ independens & improdutus æquabili semper serie sibi ipse ab omni seculo in omne seculum succedat, cumque res extrinsecè tantum respiciat, uniformiter decurrat, sive tales existant sive minus, nec ulla potentiâ sufflaminari & in cursu prohiberi possit, supra dictum est. Illam totam fluxus amplitudinem, quæ citra ullum principium & terminum diffunditur, distinctionis gratiâ vocare possemus *æternitatem imaginariam*, cum eodem modo se habeat, quo *spatium imaginarium* se habere statuitur. Atque sicut *spatium imaginarium* sine termino in immensum diffunditur; ita *æternitas imaginaria* absque exordio retrò excurrit, sine fine excursura: rursus sicut in *spatio imaginario* designare licet dimensiones, quibus correspondere possent dimensiones corporeæ; ita in *æternitate illa imaginaria* partes assignare licebit præteritas, præsentis & futuras, quæ *tempus* rei cujusque esse potuissent: ut insuper ex *loci immensitate* desumpta est pars aliqua, in qua collocaretur mundus; ita in *æternitate* quasi sejuncta fuit quadam portio, quæ commensuraretur corporum motus. Quemadmodum denique spatii partes ab invicem avelli nequeunt, ita nec ullo obice suspendi aut interrumpi potest temporis decursus. Conf. qui hunc inter *spatium imaginarium, æternitatemq; imaginariam* parallelismum præclare,

B

clare,



clarè, ut omnia alia, persecutus est Celeb. P. Gassendus *animadv. in*  
*l. 10. Diog. Laert. de Physiol. Epicuri.*

§. 2. Hæc verò æternitas *abstractè præcisè*, sumpta tota in  
perpetua quadam partiū priorum & posteriorum successione videtur  
consistere, quippe in qua interminatum concipimus temporis *flu-*  
*xum*, qui neque principium habet neque finem est habiturus. Neque  
enim tam diuturna tot seculorum diffusio, qualis ipsam mundi structu-  
ram præcessisse indubium est, inextenso cuidam momento sine aper-  
ta contradictionis metu includi poterit. Sic enim quod inextensum  
est, & omni partium diffusionem caret, amplioris diffusionis foret,  
quàm quod ferè in immensum diffunditur. Quin, qua difficultate  
quis totius mundi ambitum unico puncto, (qualecunque illud demum  
fingatur,) incluserit, eadem, si non majori, ad momentum unicum  
omnis omnium seculorum decursus referetur. *Ecquis adèd est solers,*  
*verba sunt nunquam satis laudati Gassendi l. c. qui intelligere possit*  
*durare rem aliquam, & hanc illius durationem esse instar puncti, ac*  
*sine quasi fusione & continuatione ab uno momento in aliud, per mo-*  
*menta intermedia? Facile quidem est cogitatu, rem ipsam durantem*  
*esse totam simul, b. e. cum suis partibus perfectionibusque immuta-*  
*ram perseverare. at in hac perseveratione non esse multiplex Nunc*  
*seu multa instantia, ex quibus inter se collatis, aliud sit prius, aliud*  
*posterius, cadere posse in mentem non video.* Ac ne quis assertà hac  
Æternitatis divisione ac successione perpetuà ullum *τροπῆς ἀποσκία-*  
*σμα* Deo offundi suspicetur, is nobiscum meminerit, æternitatem  
illam non magis reputari *Attributum Divinū*, quàm spatium imagina-  
rium. Ut v. hic interminata cum spatio coextensio, ita illic perpetua  
in illà permanentia attributi divini rationem habet, unde in Deo ne  
minima quidem metuenda est mutatio, utpote quem diffitis omnium  
temporum intervallis, eundem semper, nullàque mutatione attritum  
perdurare profitemur, utcunque instabiles fluant seculorum vicissi-  
tudines.

§. 3. Ut tamen externa duratio interminabilis in continua parti-  
um abscedentium & accedentium successione consistere putanda est;  
ita verò è contrario à duratione interna concretaque, quæ ab exi-  
stentiâ rei æternæ non differt, omnis simpliciter removenda est divi-  
sio ac successio. Quod ut rectiùs intelligatur, observandum, duratio-  
nem rerum creaturarum internam non dici *successivam*, per denomi-  
natio-



nationem extrinsecam, à fluxu temporis indefinente, cui coexistunt, desumptam: sed cum illa realem cum existentia rei habeat identitatem, tum propriè permanentia ipsarum successiva dicenda est, quoniam permanent partem successivè post partem adsciscendo, vel totam essentiam post totam obtinendo, &c. Duplex enim in rebus creatisprehenditur successio, *positiva* altera, altera *negativa*, vel si mavis, *privativa*. *Positiva* est, quæ pro utroque termino anteriori & posteriori habet aliquid positivi. Hæc iterum dupliciter potest intelligi: 1. quatenus alicujus entis pars est post partem, ut ob id nunquam sit *totum simul*, sed perseverando aliquid ulterioris existentia acquirat. Talia entia sunt *motus accidentales*, quibus & per excellentiam convenit *Duratio successiva*. 2. quatenus alicujus entis essentia tota est post totam, in quantum, (cum in hoc momento per suspensionem divini influxus potuisset essentia illa abrumpi,) per continuationem istius nunc porrò subsistit, & sic quasi tota essentia, in hoc momento, ad eandem essentiam in priori momento subsistentem succedit & quasi adnascitur. Talis successio reperitur in omnibus essentiis creatis ex vi dependentia illius, quam habent ad influxum Dei conservativum. Et ob hunc fluxum essentialium creatarum, earundem duratio suo modo successiva dicitur. *Privativa* est, quæ alterutrum terminum habet privativum, adeoque vel est inter non esse & esse. sic homo cum generatur, habet successionem sui esse ad non-esse. Vel est inter esse & non-esse, quomodo homo cum corrumpitur, habet successionem sui non-esse ad habitum esse.

§. 4. Quocunque nomine *successio* veniat, arcenda ea maximo-pere est ab æternitate internâ, quæ duratio est κατ' ἐξοχήν *permanens*. Neque enim essentia rei æternæ *pars* advenit *post partem*, cum ubi quoad rem nullæ dantur partes, ibi nec concipi illæ possunt, ut fluentes, quorum una adveniente, altera transeat; nec *tota* quæ *post totam* succedit, cum æternitas non dependeat ab alterius conservatione, per quam essendi permanentia continuetur. Multò minus verò in æternitate *ab esse ad non-esse procedi potest*, cum id essentiam rei indefinente temporis fluxui coexistentis oppidò evertat. Ob hanc omnimodam successionis divisionisque exclusionem, quam æternitas ita concretè sumpta exigit, Boëtius eam dicit esse *totam simul*, in notissima illa descriptione: *Æternitas est interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. Ubi quidem æternitatem non nisi improprie *to-*



um quid dicit, quippe quod ex natura suâ intrinsecè dicit ordinem ad partes; hoc tamen innuit, æternitatem quanta quanta est, *simul esse, id est*, cum res successivæ, successione maximè positivâ primi ordinis, jugi quodam fluxu alternentur, seu perenni potius mutatione fluminis instar varientur, ita ut indefinenter aliæ partes effluant, adeoque non totam essentiam simul possideant: tùm verò rem, quæ æterna denominatur, semper eandem, nullique mutationi obnoxiam permanere, neque quicquam acquirere, vel deperdere, sed quovis momento id totum possidere, quod in omni æternitate habuit aut habere potuit. Unde & æternitas scitè dici solet *Nunc stans. Nunc* quatenus indivisibilis est & tota simul. *Stans*, quat. stabilis est & fixa, nec ulla incrementa capit, nec detrimenta, patitur, ut proinde juridicatur Platoni ἔχων ἀκινήτως, *habens se immobiliter*, &, ut Plotinus habet, βεβήως ἐν ζωῇ, *constanter in vitâ* Vid. Perer. l. c. cap. 9.

S. 5. Hæc quanquam eò pertineant, ut enti interminabiliter duranti sua constet permanentia, quæ verà ac reali successione sit express; negari tamen nequit, tùm commodissimè illam interminabilem existentiam intelligi posse, si ad indefinentem temporis fluxum, æternæ durationis successione comparetur. Etenim si proprias paulò accuratius cogitationes consuluerimus, conceptus nostri de interminabiliter duranti alii vix erunt, quàm, rem illam *coexistisse* omni illi temporis fluxui, qui jam ante hoc ipsum, quo ita in æternitatis considerationem incumbimus, momentum in infinitum usq; successivè præterlapsus est; *coexistere* huic in præsens fluenti momento; *coexistiturum* denique omni successioni, quæ *labitur & labetur in omne volubilis ævum*. Qua in re ipsam SSam sequimur præeuntem, quæ toties de Deo ejusque duratione agens, illi attribuit *præsens, præteritum & futurum*. quæ particulæ cōpetere ipsi aliâ ratione nequeunt, nisi quatenus denominationem extrinsecam, à successivis æternitatis partibus desumptam inferunt. Unde *ἴδῃ præsens* non infert novæ existentie principium, sed principium extrinsecæ conjunctionis cum τῷ νῦν fluente. eò enim quod res aliqua concipitur existens, fluente hoc, quod nunc labitur, momento, dicitur *præsens*. *Præteritum* verò non dicit præcisè ipsius existentie desitionē, sed tantùm respectū conjunctionis cum momentis istis, quæ jam tùm evanuerunt. *Futurum* tandem non dicit ipsius rei futuritionem, sed rei etiamnum fortè existentis ad successura momenta habitudinem. Utut autem eo modo



modo ipsa existentia, quæ partes durationis externæ successivas con-  
notat, quodam modo successiva videri poterat, quoad rem tamen ista  
coexistentiæ seu externæ habitudinis successio nullâ adfert existentia  
ipsi successionem. Et quemadmodum rupes præterlabenti flumini  
continua quadam successione coexistit, sine ulla sui ipsius mutatione  
vel successione: ita res æterna quasi immota in suâ existentia perse-  
verat, tempore interea incessanter fluente, successioneque partium  
priorum & posteriorum habente, nec alia hodie est, ut neque alia he-  
ri fuit, alia cras futura.

§. 6. Intellectâ legitimè utriusque hæctenus evolutæ æternitatis  
naturâ facillimè expediuntur difficultates ceteroquin gravissimæ,  
quibus illa mirum quantum involuta, infeliciter satistractari consue-  
vit. Quin si *Conradus Vorstius*, tract. de Deo & attr. div. p. 226. &  
qui ipsi secundas agit, *Nicolaus Taurellus* ad utriusque diversissimam  
rationem, quod malitia, an inscitia? impediti, non fecerunt, atten-  
dissent, non eliciissent ex asserta à Theologis Orthodoxis indivisibi-  
li æternitate Dei tot tantaque absurditatum monstra, quùm illa nihil  
minus, quàm indivisibilitatē æternitatis divinæ evertant, ceterùm ad  
evincendâ tantùm æternitatis abstractæ divisibilitatem sint compara-  
ta. Nolimus enim in præsentem contra ipsos urgere, quod æternitas  
coexistat singulis temporis partibus non *simul* sed *divisim* sumptis,  
neque similitudinem de Vorstii, filiique & nepotis cum toto coeli am-  
bitu coexistentiâ illis opponamus, cum non simus nescii, quanta illis  
adhuc elabendi rima, excipiendique materia relinquatur. Salm  
omnia illa consectaria, contradictionumque pagmenta, quæ nobis  
improperant, facillimè elidentur, siquidem æternitati, quam abstra-  
ctam diximus, suæ relinquatur, partes, priores posterioresque, cui  
sine termino & indivisibiliter coexistat res æterna.

### THESIS IX.

Atque talem indurando interminabilitatem En-  
ti summo ac perfectissimo, quod Deum vo-  
camus, competere, præter Scripturam S. ipsa  
naturalis evincit ratio.

§. 1. Adumbratâ hæctenus pro re natâ Æternitatis in suo forma-  
li, præciso subjecto, cui per modum formæ denominantis inest, spe-  
ctatæ,



etate, natura: reliquum est, ut quale demum hoc sit subjectum, cui illa, quam delineavimus, interminabilis duratio asseratur, inquiramus. Huc enim redire debet omnis, quæ hoc in genere suscepta est, tractatio.

§. 2. DEO. O. M. competere durationem interminabilem, ambigere nos vetat, quod ipse ad sui contemplationem hominibus nobis accendit, Revelationis lumen, è quo tamen illam accersere quum ad Theologos pertineat, hodie supersedemus. Idem verò ex lumine quoque Naturæ constare, evidentissimo argumento vel inde saltem consequitur, quod Gentiles hac luce aduti, Deum æternum esse ac immortalem agnoverint, quemadmodum id luculentissimis eorum testimoniis comprobari posset, siquidem illum campum animus esset ingredi. Quanquam dissimulandum non est, Ethnicos, utut in thesi & speculativè multa de Deo orthodoxa veritatique congrua, ipso naturalis rationis lumine in ipsis non extincto, hoc dictante, asseruerint; in hypothesi tamen (superstitione & malitia intellectum excoecante) Deitatem ac æternitatem etiam rebus sæpenumero applicuisse, quas nihil minus quam æternas esse, abunde cognoverant. Quibus ergo mediis hæc Veritas æternitatis Divinæ ex naturæ Lumine deduci queat? id verò paulò altius nunc est ostendendum.

§. 3. *Lumen Naturæ*, nihil est aliud, quam ipse intellectus agens, cum rerum sensibus cognitarum, & in phantasia representatarum, phantasmatis conjunctus, qui non secus ac lumen colores, potentiâ visibiles, actu visibiles, res potentiâ tantum intelligibiles, actu reddit intelligibiles, juxta Aristot. l. 3. de anim. text. 18. Confer, si vacat, acutissimum nostri temporis Theologum, D. D. Joh. Musæum in *de Convers. disp. 4. c. 1. §. 17.* Intellectus igitur quemadmodum per species à Phantasmatis abstractas, cognitos primum simplices terminos, alios quidè interveniente discursu, alios citra discursum, inter se componit ac dividit: ita cum universi hujus machinam merito stupendam, resque in ea contentas oculis usurpamus, primum ex naturalibus principiis cognoscit, res istas sibi ipsis esse dare non potuisse, sed originem sine dubio aliis nobilioribus causis acceptam referre; cumque per naturam à progressu in infinitum abhorreat, in certa quadam causâ subsistens, hanc quæ elicit conclusionem, *esse omnino aliquam causam, primam, quæ sit ens perfectissimum, ex intrinseca necessitate existens, primum omnium principium, à quo cuncta entia depen-*



*dependeant, ipsum verò à nemine, b. e. Deum.* Porro quòd nihil sit in effectu, quod non in causà, si non *formaliter*, saltem *eminenter* & quoad nobiliorem perfectionem & vim illud producendi præexistat, colligit inde, omnes in creaturis repertas perfectiones, ipsi sine dubio & nobiliori quidem inesse gradu: *formaliter* quidem illas, quæ in suo proprio & formali conceptu nullam imperfectionem habent admixtam; *eminenter* autem illas, quæ perfectionem imperfectioni mixtam inferunt. Quia denique Deus ab omnibus ut ens nobilissimum & perfectissimum concipitur, idèd omnes à Deo *imperfectiones* intellectus noster removet, tanquam ejus Majestati indignas, quàm quæ maximè.

§. 4. Ex hisce fontibus indice jam digito monstratis, interminabilem Dei durationem derivaturi; fatemur quidem, illos non esse ejus rationis, unde *Deum esse æternum*, à priori concludi possit; cum omnis discursus vel à creatura ad Deum, vel ab uno Dei attributo ad aliud inferendum compositus, sit admodum à *posteriori*, ille quidem ab effectu ad causam, hic verò à causa virtualiter causante ad causatum virtuale. Ut tamen in defectu principiorum naturarum priorum, sua quoque eaq; evidentissima vis demonstrationi, quæ à posteriori inferit, denegari nequit; ita dubium non est, æternitatem Dei, etsi non ex principiis natura prioribus, ex attributis tamen ratione nostra prioribus, quin & creaturarum indole, infallibiliter iri eductum.

§. 5. Primum verò locum tribuimus *Infinitati divina*, ex qua illam jam supra tanquam ex quodam fonte manare innuimus, quam & ipsam naturali lumine manifestam hinc præsupponimus, inde ita arguentes: *Deus ratione essentia ita est infinitus, ut omnes terminos essentiam limitantes excludat. E. quoque infinitus est ratione durationis.* Consequentia veritas patet, quia modus existendi sequitur modum essendi. neq; enim existentia essentia quicquam superaddit, nisi actualitatem, propter quam intimam identitatem neque realiter separari possunt, proindeq; essentia esse nequit sine propria, ipsiq; proportionata existentia; ut adèd essentia infinita, non nisi duratio infinita respondere possit. Antecedentis ratio ex defectu causarum, (ceteroquin essentiam limitantium) per quas Deus vel produci vel constitui, & iterum vel mutari vel destrui posset, manifestò constat. Manet g. illud quod absolutè infinitum quoad essentiam



tiam est, s. nullum essentia principium agnoscit, esse aeternum, quia necesse est, ut id, quod principium nullum habet, à quo procedat, vel esse incipiat, sit ab aeterno, nam quod ita est, ut nunquam inceperit, ab aeterno fuisse ipsa luce clarius est.

S. 6. Secundum argumentum suppeditat. *Dei Immutabilitas*, quâ Deus essentiam suam integram servat, citra ullam non-essendi potentiam aut periculum conversionis in aliam essentiam, aut incrementi aut decrementi, aut alterationis, aut motus. Vid. Thomas 1. part. qv. 3. art. 1. Svarez part. 2. disp. 30. sect. 3. Unde ita colligimus: *Deus excludit omnem potentiam non essendi & à parte ante, & à parte post. E. est aeternus.* Antecedens patet. Si Deus haberet potentiam non-essendi vel à parte ante, vel à parte post, illa potentia posset in actum deduci vel ab ipso Deo, vel ab alio extra Deum. Neutrum dici potest. E. Non potest illa potentia in actum traduci ab ipso Deo, id enim fieret vel per principia naturalia & intrinseca, vel per violentiam & extrinseca. Non prius, quia Deus est purissimus actus, qui imprimis ex negatione potentia passiva estimatur, ejusq; non tam perfectiva, sed etiam corruptiva, per quam quis ad non-esse delabi, aut in aliud mutari posset. Nec posterius, quia illud poneret in Deo motuum affectuumq; inordinationem, quod cogitatu, nedum dictu nefas est. Multò autem minus illa potentia non essendi ab alio extra Deum in actum produci potest, quia sic concederetur aliquis ipso Deo superior potentiorq; quod iterum ἀπεγορίων. Nulla g. ratione in Deum cadit non-essendi potentia, quæ ejus evertat immutabilitatem quoad existentiam, unde nec durationis terminus metui potest.

S. 7. Potro, ut Duratio creaturarum etiam si terminabilis sit, eximiam præ se fert, licet cum aliqua imperfectione conjunctam, perfectionem, ita eandem in nobiliori gradu, ab ipsa essentia durante requisito, essentia divina quæ complexum omnium perfectionum dicit, deberi, res ipsa loquitur. Unde arguimus: *Deus est Ens perfectissimum. & Perfectissimam habet Durationem. E. est aeternus.* Si enim Deus non esset aeternus, utiq; perfectionis summa non amplius esse posset, quippe qui careret aliqua perfectione, eaq; plane insigni, nempe duratione perfectissima & interminabili. Nec ulla rationis verisimilitudine affirmari posset, durationem finitam & imperfectam eati infinito & perfectissimo convenire. Nam sicut enti finito dum est



est ens finitum, necessariò competit duratio finita (cùm duratio, infinita absolute in ente finito fundari non possit,) sic entì infinito necessariò competit duratio proportionata perfectissimæ essentia. An autem æternitas Deo in sit tantum *eminenter*, an verò *formaliter*? paucis dicendum. *Formaliter subiecto alicui illa inesse dicitur perfectio*, quando ipsa propria & formalis ratio ac definitio perfectionis alicui competit, ita ut inde intrinsecam denominationem sortiatur. *quomodo igni inesse calor. Eminenter verò alicui inesse perfectio*, quando ratio formalis perfectionis ei non competit, competit verò aliud quid nobilius & præstantius, quod conjunctum est cum Virtute perfectionem illam producendi, *quomodo Soli inesse dicitur calor. Æternitatem Deo inesse formaliter*, evincitur hoc argumento: O. perfectio simpliciter simplex inest Deo formaliter. A. Duratio interminabilis &c. E. Ad Majorem intelligendam, prænotandum, quid sit *perfectio simpliciter simplex*? Scholastici, præunte Anselmo, Episc. Cantuariensi, paulò obscurius definiunt, quod sit ea, *qua in quolibet ente perfectior est ipsa, quam non ipsa*. Clarius alii: quod sit, *qua in suo conceptu formali importat perfectionem sine imperfectione*, h. e. quæ ita potest rescari ab omni imperfectione, ut, postquam separata sunt ab eà omnes imperfectiones, maneat tamen aliqua perfectio illius significati propria. Ad *Majoris* veritatem jam dicimus: O. substantia simpliciter simplex in se habet formaliter perfectiones simpliciter simplices, A. Deus. E. *Major* iterum probatur, quia implicat, esse substantiam simpliciter simplicem, & tamen non habere omnes perfectiones simpliciter simplices. *Minor* sup. arg. ex prænotatis patet. Est enim duratio interminabilis sine dubio melior suo opposito, nempe duratione terminabili; Vel, si alterà definitione standum foret, nulla apparet imperfectio, quæ in ejus formali conceptu includatur. Ex quo porro consequitur Æternitatem, quæ formaliter Deo inest, jam non inesse ipsi *eminenter*, cùm eminens inessentia excludat formalem; quin nec Deo competit Virtus producendi eam perfectionem, in quam creaturâ, vel rectius; illa perfectio in subiectis aliis, in quibus dicit repugnantiam, produci nequit, quod ex seqq. intelligetur.

§. 8. Tandem ex Opposito vel absurdo Æternitas Dei confirmari potest h. m. Si Deus est finitus in duratione. E. vel est finitus à parte ante vel à parte post. Si illud, aliquando non extiterit, adeoque jam vel ipse sibi existentia principiū conciliaverit, vel abs quadam causa extra se fuerit

C

rit



rit productus. *Neutrum* verò est. *Non prius*; siquidem idem simul fuerit & non fuerit, seipso itidem prior & posterior, dependens & independens, & cetera ejusmodi. *nec posterius*. quia ita non ipse, sed causa, quæ ipsum produxerat, Deus foret, cum *Dei* nomine causa prima simpliciter designetur. De ista verò causa redit argumentum, quod si æterna non fuerit, aliquando cæperit, & proinde eam ab alia causa esse productam, de istâ porrò causa, & causæ istius causa, & ultra redit quæstio, dum tandem causa aliqua improducta ortus expers agnoscat. Sin verò à *parte post* est finitus, vel *per principia naturalia* destruetur, vel *per violentiam* interimetur, quæ absurditates jam supra sunt explosæ. *Conf. §. 6.*

§. 9. Sed non libet in re manifestissimâ usque ad eò sermonibus esse prodigis, quin fixum immotumque manet, DEUM esse *absolutè æternum*, sine omni durationis exordio, aut epilogo: & esse Deum nostrum *ἀρχονον* (ut Nonni epitheto utar, Paraphr. in Joh. c. 1.) *ἀνάρχον* (ut Justini Martyris in Paræn.) æternum nunc, & in perpetuum duraturum. Quomodo verò Deo insit æternitas? an *per modum alicujus accidentis*? an *partes* admittat, in quas dividi possit? ex præcedenti tractatione ad eò evidens est, ut ne verbum quidem addi sit opus.

### THESIS. X.

Ita verò Æternitas Deo competit, ut & soli competat, neque ulli creaturæ communicata unquam sit, imò nec absolutè communicari possit.

§. 1. Omnia olim initium cepisse, S. Scripturæ fide tam certum est, quàm quod maximè, ut nobis Christianis de eo ne dubitare quidem integrum sit, æternitatem reverà & actu esse solius Dei attributum, nullique alii communicatum? Illud tamen non æquè certum haberi voluit, an quemadmodum æternitas de facto nulli est communicata, ita nec communicari potuerit? vel, an, ut creatum nihil ab æterno est, ita nec potuerit? Quâ disputatione quanquam æquo animo carere poteramus, imposuit tamen nobis & materiæ vicinitas, & sententiarum diversitas hujus adducendæ quæstionis necessitatem.

§. 2. Sci-



§. 2. Scilicet, ut otiosa sæpe ingenia in indaganda possibilitate rerum, divinationis plurimum ponere solent; ita quaesitum quoque est; *an possibile sit, à Deo creaturam aliquam ab omni æternitate ex nihilo produci, quæ per simplicem emanationem ita procederet à Deo, ut naturâ quidem eò posterior sit, non tamen duratione?* vel ut alii quaestionem efferunt; *an possibilis sit creatio sine novitate essendi?* Quod etsi multi ex Scholæ Doctoribus, Nostratibus etiam ac Reformatis Philosophis jam olim rectè negaverint; reperti tamen vicissim alii nec numero minores nec eruditione, tam Scholastici, quam Nostrates, qui pro eo tanquã pro aris & focis decertarunt. Quos an propensior affectus in Aristotelem, Principem Philosophorum, quem multa pro æternitate mundi asserenda disputasse negare non poterant, imposuerit, ut ejus defendendi studio cognitam ab ipso creationem *sine novitate essendi*, quam & eò nomine non impossibilem esse porro assererent, fingerent? inquirere h. l. nimis foret prolixum. Quod tamen ipsi hujus quaestionis assertores in tot tantisque scissi sint partes, eo ipso non potuerunt non pessimam suam causam prodere posteritati. Prout enim illis offerebatur, quam solvere non poterant, obiectio, ita vel ignorantiam sunt professi; vel affirmationem ad minimum limitandam sunt rati. Hinc verò factum, ut alii quaesitum *de incorruptili* tantum creaturâ, alii *de corruptibili*, eâque *permanente tantum*, alii *de successiva simul*, iterum alii *de omnibus omnino entibus* admitterent, alii nullam certam speciem designantes, in genere tantum coæternam Deo creationem nullam implicare contradictionem assererent, alii denique tam affirmativam quam negativam quaestionis partem defendendam reciperent, vel certè tam dubiè proponerent, ut si intelligere velles, Delio natatore esset opus.

§. 3. Speciales singulorum expendere rationes, nec instituti est præsentis, nec otii, nec fortè necessitatis. Concident tamen, nisi fallimur, omnes, ubi æternam creationem, immotis fundamentis, quæ suppeditat tum *creature*, tum *creationis*, tum denique *creatoris* conditio, impossibilitatis convinci reputaverimus. Ac *creature* quidem per hoc, quod necesse sit, illam, à creatore, ut effectum à causâ, dependere. Ut autem omnis effectus causâ suâ est posterior, ita quæ à Deo per creationem dependet, creatura, eò ipso posterior Deo est, nec existentia suâ Creatoris existentia toti coexistere potest. *Creationis*



tionis verò, quippe quæ in hoc consistit, ut procedat à non-esse ad esse, adeoque non possit non præsupponere tò non-esse, tanquam terminum, à quo demum progressus fit ad tò esse tanquam terminum ad quem posteriorem. Denique & *Creatoris*, is enim creaturus aliud præter se æternum, crearet aliquid infinitum, essentiâ à se diversâ gaudens, quod non miûs fieri repugnat, quam si novum aliquem produceret Deum.

§. 4. Quæ præterea adduci poterant contra hanc sententiam, solida rationum momenta, ea nunc lubentes præterimus: Lectorem cupidum ad Auctores omni exceptione majores, qui pleniorum hujus quæstionis excussionem jam ante nos occuparunt, remittentes, Albertum *in 2. sent. dist. 1. art. 6. & 10.* Marsilium *2. sent. dist. 1. art. 2.* Philoponum *adv. Proclum. c. 3.* Toletum *8. Phys. 2. qu. 2.* Ex Nostratibus B. Gerhardum *Comm. in C. 1. Genes.* B. Danhavverum *Hodof. p. 198.* D. D. Calovium *Tom. 3. Syst. Theol. p. 915.* f. B. D. Klozium *Theol. Nat. disp. 15. p. 827.* B. Micrelum *de Monstros. Præ-Adam. opin. p. 103.* Cornel. Martini *Theol. Nat. p. 128.* Ex reformatis Gisb. Voetium *Tom. 1. Select. p. 569.* Adrian. Herreboord *Vol. 1. disp. Select. disp. 19.* Marc. Fr. Wendelinum *contemp. Phys. sect. 2. c. l. 15. th. 11.* magnoque numero alios. Cum quibus propitiâ veritate hac quæstionem concludimus assertionem: *Impossibile esse absolute, creaturam aliquam in æternitatis participationem potuisse evehi, id est, ab omni æternitate à Deo potuisse ex nihilo produci, quippe quod non naturâ tantum, sed & tempore præcedere actum creationis necessum fuit.* Ita verò, cum, quæ ad Æternitatem Dei explicandam pertinere poterant, hæcenus satis sufficienter, utinam & aequè feliciter! videamur expeditisse; nihil ulterius superest, nisi ut præ concessis ingenii corporisq; viribus decernamus

ÆTERNO NUMINI GRATIAS  
ÆTERNAS.













est ens finitum, necessario con-  
 dita absolute in ente finito sur-  
 cessario competit duratio pro-  
 autem aeternitas Deo inest tan-  
 paucis dicendum. *Formaliter*  
*atio*, quando ipsa propria & fe-  
 alicui competit, ita ut inde in-  
*quomodo igni inest calor. Emin-*  
 do ratio formalis perfectionis  
 quid nobilius & praestantius, q-  
 fectionem illam producendi, e-  
 nitatem Deo inesse *formaliter*  
*atio simpliciter simplex inest D-*  
 bilis &c. E. Ad Majorem in-  
*perfectio simpliciter simplex?* S.  
 Cantuariensi, paulo obscurius  
*ente perfectior est ipsa, quam in*  
*suo conceptu formali importat*  
 quae ita potest refecari ab omni-  
 ratae sunt ab ea omnes imperfe-  
 ctio illius significati propria. A  
 substantia simpliciter simplex in-  
 pliciter simplices, A. Deus. E. A  
 substantiam simpliciter simplici-  
 ctiones simpliciter simplices. A  
 enim duratio interminabilis si-  
 duratione terminabili; Vel, si a-  
 paret imperfectio, quae in ejus  
 porrò consequitur Aeternitate  
 inesse ipsi *eminenter*, cum emin-  
 nec Deo competit Virtus prod-  
 creaturà, vel rectius; illa per  
 repugnantiam, produci nequit  
 §. 8. Tandem ex *Opposito*  
 potest h. m. Si Deus est finitus in-  
 te vel à parte post. Si illud, aliquo  
 sibi existentiae principiū concil-

finita (cum duratio, infi-  
 it,) sic est infinita ne-  
 rectissimae essentiae. An  
 er, an verò *formaliter?*  
 illa inesse dicitur perfe-  
 ctio definitio perfectionis  
 ominationem sortiatur.  
 cui inest perfectio, quan-  
 t, competit verò aliud  
 m est cum Virtute per-  
 nesse dicitur calor. Aeter-  
 argumento: O. perfe-  
 A. Duratio intermina-  
 pranotandum, quid sit  
 eunte Anselmo, Episc.  
 d sit ea, quae in quolibet  
 us alii: quod sit, quae in  
 sine imperfectione, h. e.  
 e, ut, postquam sepa-  
 rat tamen aliqua perfe-  
 ctatem jam dicimus: O.  
 aliter perfectiones sim-  
 batur, quia implicat, esse  
 on habere omnes perfe-  
 ex pranotatis patet. Est  
 or suo opposito, nempe  
 se standū foret, nulla ap-  
 ptu includatur. Ex quo  
 liter Deo inest, jam non  
 xcludat formalem; quin  
 rfectionem, in quapiam  
 ctis aliis, in quibus dicit  
 , intelligitur.  
 Eternitas Dei confirmari  
 vel est finitus à parte an-  
 terit, adeoque jam vel ipse  
 quadā causa extra se fue-  
 rit

